



# Disputatio medica inauguralis de suppressione menstruorum

<https://hdl.handle.net/1874/343270>

25.

D I S P U T A T I O M E D I C A  
I N A U G U R A L I S ,

D E  
S U P P R E S S I O N E  
M E N S T R U O R U M ,

Q U A M ,  
A U S P I C E D E O O P T . M A X .  
*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

J O A N N I S G E O R G I I G R A E V I I ,  
Politics , Eloquentiae & Historiarum Professo-  
ris Ordinarii.

N E C N O N

*Amplissimi Senatus Academici Consensu , Nobilissimaque  
Facultatis MEDICÆ Decreto*

P R O G R A D U D O C T O R A T U S  
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè & legitimè consequendis ,

*Eruditorum examini subjicit*  
S A M U E L C L A Y , A N G L U S .  
*A. D. 20. Aug. horis locoque solitus.*



U L T R A J E C T I ,  
Ex Officina F R A N C I S C I H A L M A , Academiæ  
Typographi , c l o l c x c .

P A T R I A E,  
C O G N A T I S,  
E T  
A M I C I S

*Hane suam Disputationem  
Inauguralem*

Dicat Dedicatque

S A M U E L C L A Y,

Auth. & Respond.



## PRO O E M I U M.

**C**um de componenda Disputatione Inaugurali  
solicitus essem, & in evolvendo Morborum  
Catalogo versarer, ut materiam aliquam mi-  
hi eligerem: ecce tanta morborum utrumque  
similiter sexum humani generis afflentium  
occurrebat caterva, ut ea circum circa quasi  
stipatis, quo me verterem aut quem casum  
seligerem, prima fronte non apparuit: Sexus  
vero tandem muliebris proclivitas ad certos  
morbos in propatulo fuit. Sicut enim viri suos patiuntur manus, ita &  
feminae, licet autem haec variis à natura sint exornatae dotibus, inter  
quas, venusta corporis & membrorum compositio, atque elegancia tam  
excellit, ut (suaviter sic canente Anacreonte) Et flamma cedat il-  
li, ferrumque si qua pulchra est: propterea tamen à morbis adeo  
non sunt immunes, ut non solum iis, quos cum viris habent commu-  
nes, sed etiam Sexui suo propriis frequentissime laborant. Heu, quot  
variis casibus, quot discriminibus vita obnoxia sunt misera mulieres!  
Quot in tenera muliebris sexus corpora, mollesve habitus sanguinum mala,  
structeram eorum multotes invertentia, si non penitus evertentia, &  
corrumpentia? Qualem Tyrannidem agat in eas tempore Virginitatis  
Chlorosis, ipsa testantur misera. Quantis vero malis sunt exposita ma-  
ritate? Tempore impregnationis adhuc insolitarum rerum desiderium &  
appetitus, nunc nauseabundus earum ventriculus respuit cibum, nunc  
spasmodice afficitur & evertitur, hinc vomere coguntur, vel toto die,  
vel statim quibusdam diei horis, ultimis dein impregnationis mensibus,  
dum fatus fortiori jam gaudet motu atrocissimos experientur dolores, &  
in partu de vita ipsa periclitantur. Nec adhuc hic subsistit malorum

finis eis Puerpera omnem Charybdem sese evasisse & planè evitasse jam  
(scil. post partum) confusa, ehen! in Scyllam haud raro unam alteram-  
ve deplorabilem incident, putâ in Inflammationem Mammarum, Fe-  
brem lacteam, Dysenteriam &c. Complures profecto & ferè infiniti  
sunt morbi, quibus delicatula teneraque Virgines aque ac mulieres,  
meliori sorte dignæ, macerari cruciarique solent, quod facile patebit,  
si nostris modo oculis morborum seriem cerneremus, quam Riverius  
exceptis ceteris, ratione solius Uteri, extendit ad sexcentos. Et Hipp.  
in princip. l. 2. de morb. mulier. partem illam, cuius vitio tam sapè  
egrotare solent (uterum intelligimus) non abque causâ, πάγων τῶν  
υεργατῶν αὐτιῶν, omnium morborum muliebrium causam (scil. vel  
efficientem vel materialem s. subjectum) pronunciavit. Et certè uti  
numero quin nimium multæ, sunt mulierum agritudines, sic etiam sunt  
periculose, atque curatu difficiles, licet extent de earum morbis tracta-  
tiones variae, tamen vix ullam absolutam inveniemus: unde est quod  
fœmina de nobis conqueruntur, & cum Sorano exclamat: O ma-  
le occupatum virorum genus, occidimur nos, non mori-  
mur, & ab illis, qui inter vos peritissimi existimantur, per-  
peram curatae, vos vero de qualibet vel levissima vestra-  
rum affectionum, libros, ex libris facientes Bibliothecas  
voluminibus oneratis, de nostris interea diris ac difficil-  
mis cruciatibus, nulla vel exigua, & ea quidem satis osci-  
tanter, mentione facta. Non est autem mihi animus omnes mor-  
bos mulierum in Scenam nunc producere, adeoque de hisce conscribere  
tractatum: sed potius ex tanta horum varietate & numero, unum  
dentaxat affectum, in Disputationis gratiam feligere. Quandoqui-  
dem vero menstruorum Supressio, gravissimorum morborum fecun-  
dissima est mater, & multorum infortuniorum semina in totum cor-  
pus spargit, ita ut monente Galen. lib. 15. de loc. aff. c. 6. commu-  
nique Practicorum suffragio, & sententiâ, in quovis mulierum affectu  
p. n. ad ulti excretionem, mensis scilicet, semper diligentii studio re-  
spicere oporteat. Hac de causa Suppressionis Menstruorum, jam pra-  
ceteris habendam duxi rationem, quo hujus naturâ & causis probè  
investigatis, facilorem aque ac feliciorem, tum præsentis, tum alio-  
rum, hinc dependentium malorum curationem sperare non modo,  
verum etiam peragere liceat.

DIS-

D I S P U T A T I O M E D I C A

I N A U G R A L I S,

D E

# Suppressione Menstruorum.

T H E S I S I.



Ntequam ad ulteriorem affectus hujus & exactiorem analysin faciamus progressum, operæ prætium erit, in ipso principio verbum unum aut alterum de naturali Sanguinis Menstrui evacuatione, præmittere.

II. De nominibus & appellationibus variis menstrui fluxus imprimis dicendum est. Hujus itaque sanguinis profluvium Græci έμμένια, Latini Menses, Menstrua &

Menstruum sanguinem vocant. Menstrui verò nomen non à propria substantiâ, sed ab accidenti inditum est, quod singulis mensibus ejus excretionem natura moliatur. Nostrates mulierculæ honestiore ac vericundiore vocabulo flores (Anglice flowers) nominant. Non immeritd forsan ingeniosus quispiam de hujusmodi onomatopæiâ sciscitabitur. Cui primo responsum velim, ideo flores nuncupari quoniam in ipso primo juventæ flore apparent. Secundò quod veluti arbor, è qua flores erumpunt, non sterilis, sed fæcunda censemur: ita mulier illa fæcunda audit ut plurimum cui Menstrualis Catharsis debito modo, tempore, ac mensura accidit. Flores insuper vocari possunt, quod floridus hic sanguis non fætidus esse debeat. Vel tandem, si mavis appelles flores, quod floridas puellas sanguineus ille reddat fluxus, quod adeò verum est, ut quæ illo defraudentur compendiò labantur in Chlorosin, Cachexiam, Phthysin, Hydropem, & similes non minus pernicioſas quam deformes ægritudines, formam videlicet, speciem atque omnem vitæ floridum decorem deturpantes, ac deſtruenteſ.

A 3

III. Quid

III. Quid autem sanguis Menstruus est , cuique a otissimum  
autumo , nempe est sanguis in muliere superfluous , qui singu-  
lis præter propter Mensibus per Uteri vasa expurgari solet , quan-  
do mulieres nec lactent , nec Utero gestent , exempla tamen con-  
firmant , & in contrarium testantur lactantes & Utero gestantes  
Menstrua habuisse , sed ut plurimum hoc evenit cum fætus detri-  
mento secundum Hipp. Aphor. 60. l. §. mulieri si Utero gerenti  
purgationes eant ; fatum bene valere fieri non potest.

IV. Menses in salubribus & bene temperatis corporibus virgi-  
num fluere incipiunt in hisce borealibus regionibus , plerumque  
circa annum ætatis 14. & fluere desinunt , anno ætatis 50. verum  
hæc regula sæpè fallit . Nam pro ratione temperamenti , victus &  
vita genere aliis citius , aliis tardius fluere incipiunt & desinunt .

V. Ordinario menstruatio procedit cum aliqua corporis pertur-  
batione præcedanea , menstruandis molesta , idque in lumbis præ-  
cipue .

VI. Viæ per quas prædicta evacuatio contingit , sunt rami ,  
ex arteriis seminalibus ( antequam vasa præparantia constituant )  
oriundi , & totum Uteri corpus , sed fundum præcipue perre-  
ptantes , atque etiam arteriæ , quæ ab Aortæ ramis hypogastricis  
oriuntur , & Uteri collum , insimamque fundi partem perre-  
ptant . Veteres putaverunt sanguinem fluere per venas , sed hoc  
refellit sanguinis circulatio , nam venæ modo aliquid referunt , &  
arteriæ aliquid deferunt .

VII. Quantitas sanguinis Menstrui profluentis non est in omni-  
bus æqualis , sed pro temperamenti ratione , in aliis plus in aliis  
minus excernitur . In genere tamen cum Hippocrate statuere possu-  
mus , uncias circiter octodecim singulis mensibus expurgari . Ve-  
lim autem notatum , quod purgatio Menstrua ad ætatis usque vi-  
gorem augetur , florente jam ætate æqualis perseverat , vel parum  
aucta , aut diminuta , ætate jam declinante paulatim minuitur ,  
donec omnino desinat .

VIII. Quantitatem in genere determinavimus , restat ut scrute-  
mur , quibus qualitatibus sanguinem Menstruum laudabilem ,  
præditum esse oportet . Requiritur itaque ut sit consistentia me-  
diocris non nimis tenuis , nec crassæ . Odor omnis absit , color sit  
vividus & floridus , similis sanguini mactatorum recenter anima-  
lium ,

lium, is tamen pro temperamento, aliquo modo mutari potest.  
Quod medium effluxus naturalem spectat, Menstrua liberè debent  
effluere, & non habere sibi concomitantia gravia symptomata.

IX. Menstrua purgatio in omnibus non absolvitur iisdem de-  
terminatis diebus quibusdam enim per duos (quod Hippocratis  
tempore familiare fuit) aliis ad tertium, quartum, & quintum,  
& aliis diutius continuatur. Quod sanguis in aliquibus breviori  
tempore effluat, oritur, vel propter ejus superflui naturalem pe-  
nuriam, vel propter viarum per quas effluit, amplitudinem,  
propter quam contingit, ut magis libere & citius effluere possit,  
quam aliàs: ac denique etiam brevius Menstrua fluunt iis, quæ  
corpus suum quotidie valde exercent, quam quæ magis in otio  
vivunt; ratio est, quia hæ non tantâ copiâ sanguinis ad nutritio-  
nem corporis, indigent, (quam quibus continuè propter exerci-  
tiorum vehementiam fit partium consumptio) ac proinde plus san-  
guinis superflui generant, ad quem excernendum temporis spatum  
requiritur majus.

X. Maxima difficultas adhuc restat, quæ sit causa hujus singu-  
lis Mensibus excretionis, id profecto multorum torcit ingenia,  
& si quid fatendum est, fateri volumus, res sanè ardua est, cau-  
sam invenire cur præcisè singulis Mensibus, sanguis ab Uteris vasis  
deponatur. Hos verò conceptus sequentes de eâ re, forte non  
omnino à ratione alienos accipiat benevolus Lector. Nimirum  
suppono quod Deus mirificus, humani generis, primum domi-  
ciliū, voluit esse Uterum, & non ut generi humano propagan-  
do saltem, sed & ut conservet, & soveat conceptum semel factum,  
augeatque ad maturitatem usque debitam. Requirebatur propte-  
reà talis Uteri & vasorum ejus structura, quæ apta esset, quo-  
vis tempore, factæ conceptioni, conveniens suppeditare nutri-  
mentum. Ideoque arteriæ (quarum ope semper ad corporis qual-  
vis partes nutriendas, Chylus, sive lactea nutritia, circulantium  
humorum pars alias pervenit) Uterinæ, plurimam partem ita fa-  
bricatæ extant, in Utero ad perfectionem perducto, & concepcioni  
idoneo, ut semper dispositæ sint conceptioni factæ suos impli-  
care ramos, subtilissimos ab initio, ut sic cum umbilicalibus fæ-  
tus vasis Placentam formare, communicatisque ita canaliculis,  
semper nutrimentum adducere valeant. Hoc sanè est negotium in  
quo

quo omnis rei cardo vertitur, & hinc est, quod statuto tempore  
adèò exactè redeat sanguinis Menstrui fluxus: neque ad lunarem  
quendam motum, aut fermentum aliquod Uterinum fermentatio-  
nem singulis mensibus instituentem, velut inanes saltem conce-  
ptus, recurrere opus habemus, cum longè simplicius constitua-  
tur hoc opns. Dum enim Uteri plures arterias huic negotio desti-  
natas, semper expectare oportet, conceptionem, atque huic ferè  
obviam quasi semper eundo, à sanguine scil. propulso, subtile sanguis  
& arteriolæ excrescere opus habent; hinc sensim cumulatus sanguis  
& arteriolæ longius serpentes, & excrescentes tandem dilatat, & sibi  
effluenti rimas efficit: sicque sanguinis fluxum instituit: donec sic  
sensim majori copiâ excretâ, subtile sanguis arteriolæ in concinnos  
resilientes clauduntur rursus, de novo affluxum & repletionem ex-  
pectantes & excrescentes, donec tandem conceptione facta, inten-  
tionem suam consequitur sanguis, nutrimento advehendo destinat-  
us: ubi tum effluxus ille naturaliter emanet, & vel in integrum,  
vel pro parte: Lateralibus namque arteriis non omnino adhuc Pla-  
centæ implicatis, per tempus aliquando, conceptione facta; du-  
rat effluxus statuto tempore, donec tandem omnes in Placentam  
semper crescentem & auctam excurrunt, & ei implicatae extant.

XI. His discussis, ordo nunc postulat, ut ad suppressionem  
Menstruorum deveniamus, & primo de Definitione. Supressio  
Menstruorum, mihi est, sanguinis in fœminis ætatem justam ha-  
bentibus, singulis Mensibus naturæ legibus ex Uteri arteriis ef-  
fluere soliti, præternaturalis retentio.

XII. Propriè supprimi non dicitur sanguis Menstruus, nisi re-  
tineatur, quando naturæ lege fluere debet, sicut canis cæcus non  
est ante nonum diem, omnis enim privatio, intelligi debet de  
Subjecto apto, & tempore à naturâ præstituto. Nec enim puellis  
ante annos pubertatis, nec vetulis post annum quinquagesimum  
propriè suppressos Menses dixeris, nec de illis provocandis tunc  
cogitandum. Prioribus vasa sunt angustiora, & totus sanguis abit  
in corporis nutrimentum; Posterioribus calor imbecilior excre-  
menta hæc, aut parcus generat, aut expellere non potest. Desunt  
quoqne naturaliter Menstrua prægnantibus post 40. diem, nam ad  
hunc usque diem, sine fætus offensione possunt esse Menstruales.  
At si postea menses illis fundantur, ferè impossibile est, fætum  
esse

esse sanum (ut dixi in fine Thes. 3.) quia suo defraudatur genio. Lactantibus pariter absuntur, quia Chylus ex quo lac conficitur, copiose jam fluit in mammas ad fætus editi nutritionem, & ita sanguinis abundantia non generatur. De his Menstruorum suppressionibus hoc loco non loquimur, de affectu enim præter naturam tractamus, at in prædictis casibus, Menstruorum suppressione est naturalis, vacuatio verò omnino præter naturam.

XIII. Accedimus nunc ad causas explicandas, quia cognita, & remota causa, ipse affectus cognoscitur & removetur. Menstruorum itaque Suppressione oritur, 1. ab arteriis uterinis occlusis. 2. à sanguine justo crassiori vel ejusdem defectu.

XIV. Occluduntur arteriæ ex vitio naturæ dum vel nimis callosæ, vel minus idoneæ sunt, ut per eas sanguis fluere nequeat, scil. ex tumore, Scirro, alioque vitio partis Uteri adjacentis, easque prementis.

XV. Crassior redditur sanguis à quolibet acido sanguinis fluiditatem tollente: Cui occasionem dat temperamentum frigidum & humidum. Aér frigidus & pluviosus. Cibi viscidæ, duri, saliti, fumo indurati, acidi, frigidi, humidi, & noxii ex mala consuetudine in usum vel potius in abusum revocatis, ut sunt Creta, Carbones, Cespites & similia. Etiam hic suum symbolum conferunt vita otiosa, somnus nimius, tristitia, mæror &c. Defectus sanguinis sit à Chyli inopiatà morbo prægresso gravi, Hæmorrhagiâ &c.

XVI. His præmissis, properamus ad signa tum Diagnostica, tum Prognostica. Diagnosin hujus affectus quod attinet, illa ex ipsius ægræ relatione mutuanda est, propterea semper diligentes esse debemus ut primum quod petimus ab ægrâ sit, an menstrua sint retenta nec ne? Deinde in prægressam victus rationem aliasque causas statim inquirere debemus. Sed proh dolor! eò nequitiae devenerè gravidæ meretriculæ, ut medicorum opem implorent, se pati suppressionem simulantes, quarum fraudem, ut detegere possint, & præcavere Medicorum filii, quedam signa quibus gravidæ, à Menstruorum Suppressionem patientibus, hic commemorare luet.

XVII. Ac primo quidem Gravidæ naturalem ut plurimum retinet colorem, in aliis contra fædus & pallidus appetet, imò &

B corpus

corpus aliquando propter diutinam suppressionem virescit. Secundo, Symptomata quæ Gravidis in principio gestationis accidere solent, indies mitiora evadunt, aliis non item, in quibus indies graviora fiunt. Tertio, Gravidæ ut plurimum hilares sunt: aliæ contra mæstæ, vexantur nausea, ciborum fastidio, lumborum, scapularum, capitis dolore, atque totius corporis gravitate &c. Quarto, in Gravidis post tertium à conceptione mensem, motus infantis admotâ manu Ventri inferiori percipitur, quod in aliis neutiquam locum habet. Plura de hac materiâ videri possunt, apud Cl. Sennertum & Riverium in Praxi eorum.

XVIII. Signis Diagnosticis elucidatis, jam progredior ad Prognosin. Primò notandum est, quod quibusdam fæminis perpetuus Menstruorum defectus, familiaris esse soleat, constante interim integra valetudine, in illis autem quibus semel fluere consueverunt menstrua & nunc rursus emanant, gravissimorum morborum, causa existant. Oriuntur namque inde Vertigines, capitis varii dolores, respiratio difficilis, Palpitationes cordis, & non raro graves & mirabiles convulsiones &c. imò Cachexia confirmata inde reddita, Hydropis tandem prodromus est: Sic & Gangræna, teste Fabr. Hildano, inde nonnunquam oritur, quæ tristem mortis Catastrophen accelerat. Hipp. l. 1. de morb. mulier. expurgationem Menstruorum sexto mense transacto irrevocabilem pronunciavit. Contrarium tamen exemplum apud ipsum occurrit Hippocr. lib. 4. Epidem. ubi ancillæ menses, qui per Sextennium erant suppressi, iterum fluere cæperunt. tum lib. 5. Epidem. ubi Gorgiae uxori in larissa menses quatuor annis suppressi redierunt. Hinc Rodericus à Castro part. 2. lib. 1. de morb. mulier. c. 4. f. 17. non debere legi, Affectionem hanc mense sexto reddi incurabilem, sed curatu difficultem monet.

XIX. Ordo nunc poscit, ut ad ipsam Curationem accedamus. Primo, itaque ante omnia Ventriculi Chylosis corrigatur. Secundo, circulantes humores cruditate, crassitieque peccantes, & vasa uterina obstruentes, emendentur, & ad statum naturalem reducantur. Tertio, Medicamentis appropriatis Menses stimulentur, & fluere cogantur.

XX. Primario scopo ut satisfaciamus, necesse est ut materia excrementiæ saburra in Ventriculo congesta, exterminetur, & de-  
pra-

pravatum stomachi fermentum restituatur : in hunc finem primo  
præscribatur Vomitorium, præcipue si nausea, sapor ingratus ru-  
ctusve acidi adfint, habito enim respectu ad vires, annot. Cl. Will.  
Vomitorium unum plusquam purgatio decies repetita prodesse solet,  
quod fieri potest, ex Croc. Metall. infus. Oxymel. simpl. vel ex  
rad. aut foliis Asari. Si verò ægra non facile vomat, purgans præ-  
scribatur, quod ex sequentibus vel similibus elegi potest ut Spec.  
Hier. picr. aut Diaturb. Pil. Cathol. Aloëphangin. Extract. Helleb.  
&c. additis salibus convenientibus, ut sale Artemis. Puleg. Succini,  
& ol. Sabinæ: vel Pil. Coch. minor. fætid. additis Castor. Dia-  
gryd. Extract. Bryon. Chrystall. Tartar. vel ex Antimoniatis quæ  
in formam Pilul. pulv. vel cum aquis appropriatis in potionem redigi  
possunt : hæc quam non tantum prosunt quatenus faburram in  
primis viis collectam evacuant, sed etiam quatenus intestina, par-  
tesque adjacentes irritando vasa obstructa magnâ eorum succus-  
sione factâ ab infartione liberant.

XXI. Ad secundam intentionem persolvendam partim à Chy-  
rurgiâ, partim à Pharmaciâ auxilia peti debent. 1. Ergo vena se-  
cetur si vires constant, maximâ si Plethora adsit. 2. Ad sanguinem  
crassum nimis incidendum, attenuandum & resolvendum,  
commendamus omnia aromatica, item salia lixivia, tam volatilia,  
quam fixa quæ si sudorifera & diureticâ vi simul prædicta fuerint,  
talia per angusta vasorum orificia facilius ferantur plus præstabunt,  
illa tamen feligenda sunt, quæ quotidiana experientiâ observamus  
in hoc vel illo affectu magis conducere; Qual. sunt Rad. Aristol.  
rotud. Angelic. Gentian. Imperator. Galang. Apii, Fœnic. Aspa-  
rag. Ononid. Eryng. Petasitid. Bryon. Iteos nostrat. & Florent.  
Fol. Puleg. Maliss. Sabinæ, Salviæ, Artemis. Matricar. Dictamn.  
Cratic. Majoran. Rorismar. Menth. Rut. hortens. Calaminth.  
Montan. &c. Cign. Guajaci. Sassafr. Lign. Juniper. ut & cort.  
eorum, & Litri, Cinnam. Aurant. &c. flor. Croc. Oriental. An-  
thos, Cheiri, vel Leucoji, Sambuc. Matricar. &c. Sem. Levistic.  
Anis. Fœnic. Carvi, Nafturt. Dauc. Bacc. Laur. Junip. &c. Gum.  
Aloes, Myrrh. Galb. Sagapen. Afa fætid. Bdellium, Succinum  
&c. ut & Borrax Castoreum &c.

XXII. Tertia intentio fuit, ut Medicamentis appropriatis men-  
ses stimularentur & fluere cogerentur, quæ partim à præcedenti

Thesi, partim hic peti possunt. Hic verò præstantissima sunt, atque non satis extollenda, Medicamenta ignis ope præparata, non tantum enim facilius quam cætera ab ægris assumuntur, sed etiam majori cum efficaciâ agunt. Sequentes Spiritus volatiles magni usus sunt, ex. gr. Spir. salis armoniaci aromatizat. Spir. Corn. Cerv. Fuliginis, Secundinæ humanæ, Liquor. C. C. succinat. Tinct. Castorei, Elix. Proprietat. c. alkali, imprimis volatile. Etiam hic Essentia Myrræ, & Sabinæ oletum, suas merentur laudes. Nec omittenda sunt remedia Chalybeata, in hoc casu plerumque maxime proficia, modo post eorum assumptionem corporis exercitia non negligantur.

XXIII. Possunt igitur sub diversâ formâ Medicamenta à nobis memorata præscribi, prout ægra hoc vél illud appetat, ex. gr.

R. Infus. Croc. Metall. 3vj.

Aqua Puleg. Card. Benedict. an. 3ß.

M. F. Vomitorium.

Vel

R. Rad. Asar. 3iſ. Ozymel.

Simpl. 3j. F. Vomitorium.

XXVI. Ubi verò cruditates nimis tenaces Vomitoriorum vim cludere hariolamur, prius digestiva & alterantia præmittantur cum Marte combinata. Ex. gr.

R. Croc. Maris gr. xv.

Salis Tartari gr. v.

Cinnam. Acut. 3ß.

M. F. Pulvis.

XXV. Ad sanguinis crassitatem aut viscositatem incidentam atque attenuandam, tale vinum Medicatum præscribatur. v. gr.

R. Rad. Angelic. 3ij.

Galang. 3ß.

Matricar. Rorifmar.

Sabina an. Mß.

Bacc. Junip. 3iſ.

Sem. Dauci,

Levistic. an. 3ij.

Cinnam. acut. 3ij.

Croc. Oriental. 3ß.

Salis Tartari, 3iſ.

Incisa

Incisa & contusa indantur Sacculo cui in Cantharo affunde vini  
albi iiiiij. bibat ægra haustulum mane & vesperi ante pastum.

XXVI. Vino præcedenti vel simili, per tempus propinato, tum  
purgante quodam convenienti, humores crassi & viscosi rejiciantur.  
Ex. gr.

℞. Pil. de Aloë lot. 3j.

Extract. Colocynthid. gr. ix.

Ol. destill. Cinnam. Vel

Sabin. gutt. viij.

M. F. Pilule, quarum repetitis vicibus, si opus, detur pro  
dosis 3ʒ.

Corpo purgato, si plethora adsit, in Brachio vena fecetur. Interim hæc venæsectio, non est instituenda instanti illo tempore,  
quo ægra solebat Menstruam pati evacuationem, sed octiduum  
ante illud tempus admitti debet.

XXVII. Instanti jam tempore fluxus, Balneum fiat ex herbis  
Uterinis aromaticis &c. v. gr.

℞. Herb. Meliss.

Origan.

Rorismarin.

Sabina an. M.ʒ.

Artemis.

Puleg.

Serpill. an. Mj.

Flor. Chamom.

Hyperic.

Centaur. min. an. P. iv.

Coque in s. q. aquæ pro Balneo, quod matutino tempore, ingrediatur,  
& commoretur ad horam in eo, herbæ duobus Sacculis  
includantur quorum uni supersedeat, altero foveatur venter in-  
terior. Post Balneum vicinæ Uteri partes inungantur Oleo Fl.  
Cheiri, cum Oleo Bacc. Lauri, Sabinæ destillat. Spicæ &c.  
Aperiatur vena Saphæna pedis utriusque die secundo, post eges-  
sum è Balneo.

XXVII. Deinde talia Medicamenta stimulantia præscribantur.  
Ex. gr.

R. Gummi Ammoniac. 3*fl.*

Croc. Oriental. gr. v.

Trochisc. Alband. gr. iii.

Castor. gr. v. M. F. Pilule.

Vel

R. Castor. 3*ij.* Sal. Succin. 3*fl.*

F. Pulvis, ad tres doses,

Capiendus ex Aqua Cinnamomi.

Vel

R. Liquor. C. C. succinat. &

Castor. cobobat. cum Myrrha,

Vel Tinct. Myrrha 3*fl.*

Borrac. Venet. gr. xv.

Ol. Sabin. gutt. iij.

Syr. Artemis. 3*ij.* F. Mixtura.

Vel

R. Essent. Castor. Croc. an. 3*j.*

Cape singulis diebus bis à gutt. xxx. ad l.

Vel

R. Cinnam. 3*j.*

Borrac. gr. x.

Ol. Cinnam. gutt. j.

F. Pulvis.

XXIX. In casu desperatissimo Chymici admodum extollunt Suffitum Scor. Regul. Antimon. Ex. gr.

R. Scor. Regul. Antimon. 3*fl.*

Coq. in s. q. Lixiv. è

Cineribus Artemisiae, tum

ad Colat. hujus decoct. 3*vj.*

add. vin. Malvav. 3*ij.* Misc.

Silicibus vel ferro ignito duo cochlearia hujus liquoris affundantur, fumusque per infundibulum ab Utero accipiatur. Possunt & institui Suffitus ex Sabinæ, Colocynthido, Myrrha, Styrace, aliisque similibus.

XXX. Hic etiam Pessi Uterini applicari possunt. Ex. gr.

R. Rad. Helleb. Nigr.

Myrrh. rubr.

Sabina an. 3*j.*

Ex

Ex pulverisatis cum Mucilagine Tragacanthi siant Pessaria duo, quæ nodulo serico, excipientur, & applicentur, sed diu haud retineantur, ne inflammatum, aut exulcerent Vaginam Uteri. Si vero inflammatio aut exulceratio contigerit, optimum erit late aut Sero, aut Decocto leniente cum Butyro partem ablueret, aqua rosar. plantag. album. ovi, ol. ros. viol. panno excepta, collo Uteri imponi possunt.

XXXI In Diæta, fugiantur carnes salitæ, fumo induratæ, Pisces &c. ut & Lacticinia, fructus horarii, & similia, vel acercentia vel actu acida, cibi sint incidentes & aperientes, condiantur cum Rhaphano rusticano, Petroselino, Nasturtio, Croco, seminibus carminativis &c. Potus sit Cerevisia benè defæcata, vel vinum tenuis. Corpus modicè exerceatur, somnus non sit longus, alvus aperta sit, & fugiantur, animi Pathemata.

XXXII. Denique his omnibus frustra adhibitis Veneris usum moderatum & legitimum commendamus, imo nullum remedium hoc in casu est melius marito; Coitus enim, id, quod Medicamenta affectum plane reddere non poterunt, suppletat, quia primo, à mutuo cum viro congressu confricantur partes, spiritusque uberioris in eas influunt, hinc dilatantur vasa, partesque obstrucentes reserantur & relaxantur. Secundo, ab eodem fonte spirituosa Masculini semen aura per poros Uteri & vasorum transiens, & ad massam sanguineam advolans, molem ejus exagitat, majoremque in eo fermentationem excitat. Hinc Platerus non sine ratione dixit, quod *Virgines pallide, & morbose, si tempore virginitatis menstruarum defectu laborant, si nubant, interdum prima nocte eorum fluxus communicatur, & in certum ordinem, cum colore vivo, & incolore restitutur.*

XXXIII. His itaque auxilio divino ad finem perductis, Deo optimo maximo, pro hoc aliisque innumerabilibus beneficiis gratias agimus maximas, toto corde orantes ut studiis nostris quibus haec tenus benedixit, imposterum benedicat, ut vergeant unice in nominis sui gloriam & honorem, proximique salutem; propterea huic Disputationi (quam præter expectationem exrevissime observo) finem impono verbis Lipsianis: *mibi quidem mens ubique bona, & si alicubi humana hac lingua aut calamus titubavit, ne asperge queso nimis luam.*

CASTIS OMNIA CASTA.

# COROLLARIA.

I.

*Aloes stagnantem sanguinem reddit fluxilem.*

II.

*Diebus canicularibus purgare licet.*

III.

*Frigida omnia nervis inimica.*

IV.

*Chimiæ Studium Medico futuro necessarium est.*

V.

*Metalla probe præparata tuto Medicamentorum loco assumentur.*

VI.

*Differentia inter Empyricum & Medicum in eo consistit quod Medicus ratione agat, Empyricus vero non.*

F I N I S.